

quos inungi vult, peccatorum remissionem non absolute, sed conditionate pollicetur. Si peccata fecerit, idem est, ac si diceret, si peccatis morbum accersiverit; si infirmitate ideo castigatus fuerit, quod peccata fecisset, DOMINUS preter corporis valetudinem unctione miraculosa emendatam peccata illa insuper, quibus eam sibi conciliaverat, clementer ei dimittet; Papistica vero hunc effectum vindicat sibi absolute, cum potius ille absolute sit ei denegandus. Denique promissio 3.) levandarum corporis aegritudinum Jacobea tanquam miraculosa fuit propria. Quid ad haec Hagemannus? pauca; propter gravitatem nimirum dicentis, quasi sufficeret Pythagoreum illud: *ΑΥΤΟΣ ΕΨΑ*, Hagemannus dixit: *Jacobeae unctio eadem est cum nostra*. At enim vero sub iudice lis est de Papistica unctione, an sit eadem cum Jacobea nec ne? ubi affirmanti omnino incumberebat probatio; nuda vero assertio nihil est aliud, quam *αδολεσχη* vana & inepta. Sit vero unctio apud Jacobum eadem, quam Patres seculis prioribus describunt; quid tum postea? Haec enim non eadem est, cum Papistica, sed toto caelo diversa. Adducit Hagemannus testes, B. Ephrem, Chrysostrum, Innocentium atque Augustinum; qui tamen contra ipsum sententiam dicunt. *Si oleo egrotantem*, inquit Ephrem, (kk) *inungis*; Chrysostrum: (ll) *Sacerdotes habere potestatem juxta illud Jacobi: Infirmatur quis ex vobis*; Innocentius (mm): *Illud Jacobi V. de fidelibus egrotantibus accipi*  
vel

(kk) *De Vita Spir. ad Mon. cap. 71.*

(ll) *L. 3. de Sacerd.*

(mm) *Ad Decent. Episcop. Epist. 1.*